



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

XLVI. Ferdinandus I. obtinet indultum primariarum Precum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

82 De primariis Precibus Imperialibus  
eis fuerit canonicè dispensatum; non sint, &  
absque examinatione predictorum conferre  
liberè possint; quodque persona nominata  
predicta in asssecutione predictorum Benefi-  
ciorum, etiam dictis Cardinalibus, de-  
beant anteferri: & Executores predicti  
Agentibus Camera Apostolica, aut Colle-  
ctoribus, vel Subcollectoribus certificatio-  
nem hujusmodi facere nullatenus teneantur:  
non obstantibus premissis, & constitutioni-  
bus, & ordinationibus Apostolicis; necnon  
omnibus illis, quæ in dictis literis volui-  
mus non obstare; cæterisque contrariis qui-  
buscumque. Datum Romæ 20. Novem-  
bris 1530. anno septimo.

XLVIX  
Clementis  
VII. Pontificatus  
Anno VII.

XLVI.  
Ferdinandus  
I. obtinet in-  
dultum pri-  
mariarum  
Precum.

Sic cum Ferdinandus frater Caroli V.  
in Romanorum Regem fuisset assumptus,  
& iste electionem suam, sicuti præde-  
cessores fecerant, confirmari obtinuisset  
à Clemente VII., & dein ab eodem si-  
mile indultum primarias Preces porri-  
gendi impetrasset; contra has primarias  
Preces Ferdinando donatas obstrepere  
Germani: aiebant enim uno, eodemque  
tempore premi non potuisse Capitula,  
& Collatores duabus Precibus, & pro  
duobus Beneficiis: hanc novitatem esse,  
alienamque à mente Clementis, quem  
putabant indulgisse tantummodò, eos  
Ordinarios, qui executi non essent Pre-

ces Caroli Imperatoris, executioni mandare Preces Ferdinandi Romanorum Regis. Hæc Ferdinandus detulit ad Pontificem, qui solemniter declaravit intentionem suam fuisse, quod amborum Precibus eodem tempore, & pro duobus Beneficiis ab unaquaque Ecclesia parendum esset: neque excusarentur Collatores sub prætextu, quod Precibus Caroli jam contulissent, cujus declarationis Pontificiæ Breve hujuscemodi est:

*Clemens &c. Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum, & Hungaria, ac Bohemiæ Regi Illustri &c. Dum intra mentis nostræ arcana, debita consideratione, pensamus singularem Tuæ Celsitudinis fidei constantiam, & integritatem, eximiaque devotionis affectum, quibus in nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu semper claruisti, & continuè clares; dignum, imò potius debitum reputamus, ut tuo intuitu operam efficacem impendamus, ut tibi grata & accepta, ac alia benemerita persona in Beneficiis Ecclesiasticis provisionem percipiant congruentem. Sanè dudum sub datum videlicet xvij. kalen. Julii, Pontificatus nostri anno octavo eidem Celsitudini Tuæ post tuam felicissimam in Romani Regis electionem factam; & per nos pro universæ Christianæ Ræipublicæ salute confir-*

XLVII.

Indultum  
Clementis  
VII. Ferdinando I.